PRO SOLEMNI OBEDIENTIA,

quam præstitit

SANCTISSIMO

D. N. CLEMENTI X.

NOMINE SERENISSIMI

PORTVGALLIAE, ET ALGARBIORVM

PRINCIPIS PETRI

EIVS LEGATVS,

EXCELLENTIS. D. FRANCISCVS DE SOVZA

Marchio de Minas, &c.

ORATIO

Habita in publico Consistorio 22. Maij anni 1670. à Doctore Antonio Vellez Caldeyra, Militiæ Christi Equite, in supremo apud Lusitanos Iustitiæ Tribunali Regio Senatore, & in hac Regia Legatione à Secretis Serenissimi Principis Portugalliæ.





ROMÆ, Ex Typographia Varesij. MDCLXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

OBEDIENTIA POTENTISSIMI, ET INVICTISSIMI PETRI PORTVGALLIAE PRINCIPIS, &c.

per Excellentissimum Dominum Franciscum de Souza, Marchionem de Minas, Comitem de Prado, Regium belli, & Status Consiliarium, Dominum de Beringel, Ducem, & Gubernatorem supremum Prouinciæ, & Exercitus Interamnensis, Præfectum clarissimæ arcis Pacis Iuliæ, Oratorem ad CLEMENTEM X. P. M. An. Dom. MDCLXX. 22. die mensis Maij.



LEMENTI NONO, inter omnes retrò Pontifices verè Maximo, & immortali in terris vita dignissimo, religiosam ex animo obedientiam consecrare mandauerat Potentissimus, & Inuictissimus Petrus Portugalliæ Princeps; quo, ante diem, ad superos erepto, inter tepentes adhuc illius cineres, & viuas, Beatissime Pater, tuorum syderum flammas;

inter occiduam illius lucem , & pulcherrimum tuæ nascentis gloriæ ſplendorem; inter feralem illius pompam , & iucundiſſimum tuæ dignitatis concurſum; inter ingentem illius tumuli mœrorem , & tuum expectatum , & debitum triumphum ; inter lugubres illius cupreſſus, & virentes tuæ felicitatis laurus; inter acerbos Regum, Principum, & totius Orbis, erga illum, ſingultus, & incredibilem, erga te, lætitiam, & voluptatem ; inter flebilia,& iterata Luſitaniæ, erga illum, ſuſpiria,atque deſideria,& feſtiuos, erga te,plauſus,ac recentis gaudij oblectamenta, eandem obedientiam more maiorum conſecrandam , tibi celeriter decreuit , ò Pater Beatiſſime: ſiquidem inimica mortis manu ex cæleſti Eccleſiæ Paradiſo

——————— *Vno auulſo, non deficit alter*

Aureus; Vno auulſo, nempe Clemente IX, non deficit alter, hoc eſt Alterius, illius filius, Alterius Pontifex, Alterius Clemens, Alterius aureus. Filius, ex creatione Cardinalitia; Pontifex, ex ſucceſſione dignitatis; Clemens, ex eadem nominis indictione; aureus ex aurea verè indole,& pari cum eo amabilis naturæ,atque inæſtimabilis pretij morum probitate. Ita vt, ſi Clemens IX. interrogaretur, quis nam, eo decedente , Pontifex futurus eſſet? Te pectore,& mente reuoluens,illicò reſponderet; Alter ego: Alterius ego. Quod ſi gentilitium tuæ nobilitatis ſtemma perſcrutari fas eſt, non immeritò, Clementi IX. proclamare licet: *Opera manuum*

tua

tuarum sunt Cæli: ideſt, Beatiſſime Pater, tua lucidiſſima ſydera, ad tollendam omnem ambiguitatis caliginem in Cælo Eccleſiæ mirificè refulgentia.

Reperio, quòd Magi quondam fortunatiſſimi, ex vnico aſpectu, atque impulſu diuini illius ſyderis, quod eis in Oriente præluxit, depulſis ex animo veterum, quas antea ſectabantur, opinionum tenebris, ad Christum adorandum ſubitò conuolarunt, eam initæ à ſe viæ cauſam reddentes: *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*. Vbi tria notabilia inculcantur. *Videre, Venire, & Adorare*. Quod æquiſſimo, & Sacroſancto Conclaui accidiſſe, proditum eſt: diuerſis enim rerum, & partium ſtudijs ſciſo, & miris ſententiarum varietatibus per quinque ferè menſium ſpatium fluctuanti, vbi primum tua illi fulſerunt nitidiſſima ſydera, illicò vidit, quò Cæli via duceret; venit, ideſt conuènit; & te Pontificem Maximum, & Legitimum Chriſti ſucceſſorem adorauit, ad Tiaræ nuntium, pauidum, & confuſum, delati vltrò honoris reijcientem inſignia, & quod nunquam ſatis orbis mirabitur, non ementita ſpecie, non oretenus, ſed toto mentis, atque animi conatu, ſupremum rerum faſtigium aſcendere detrectantem; vt loco poeticæ quondam adulationis, vera deinceps ſuccedat, & ab omnibus, ſine fuco, decantari poſſit ſententia

——————— *ſolus meruit regnare rogatus*.

Hinc mihi de facili, & repente panditur perquam difficilis

cilis inter ſacri eloquij Myſtas, ſed verus, ni fallor, ſenſus arcanæ illius imaginis, quæ Ioanni olim Euangeliſtæ in Cælo apparuit. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius, corona ſtellarum.* Pro muliere enim Romanam Eccleſiam accipio; Pro Sole, Legem Euangelicam agnoſco; Pro Luna, multiplices ſubiecti orbis varietates intelligo; Pro capite, te, Beatiſſime Pater, non tam exiſtimo, quam indubitabili Fidei veritate confiteor. Pro corona ſtellarum, auguſtum tui ſanguinis, & gentis inſigne libentiſſimè amplector, quo militantis Eccleſiæ caput rectè ambiris, & tuis vndequaque cinctus ſtellis meritò, atque optimo iure coronaris.

Proinde, cum Eccleſia Romana Nauis ſit Petri, tot fluctuum, & procellarum furijs expoſita, tot Scyllæ, & Charybdis inſidijs obſeſſa, tot bacchantium ventorum minis laceſſita, vt hæc, & alia pericula victrix euaderet, & optatum Sanctæ Ciuitatis, quò vela regit, portum ingrederetur, diuino hoc tuorum ſyderum præſidio opus erat. O felicia ſydera, quæ nos in Patriam, licet Aeolus fremat, & ſpumet mare, tranquillo motu, & immutabili luce Clementer ferunt! Nunc planè video, cur Imperatorum, Regum, Principum, & omnium nobilium Ciuium poſtibus lucent affixa; ne ſcilicet eorum aſpectu forte amiſſo, miſerum, ſine ſydere, naufragium experiantur, nam, vt quidam eleganter cecinit

——————— *Mors eſt, ſine ſydere, vita.*

Illud

Illud præcipua obſeruatione, nos Luſitani, dignum cenſemus, & grata memoria recolimus, Te eadem die vigeſima nona Aprilis hìc in Vrbe ad Pontificale eucctum faſtigium, qua in Luſitania, primam Solis lucem vidit potentiſſimus, & inuictiſſimus Petrus Portuggalliæ Princeps; nam hinc etiam qualiſcunque nobis ſuboritur, & affulget ſpes fore, vt ſicut vnumquemque Deus ſub eodem Syderum aſpectu ad ſupremam dignitatem euexit, ita alter alterutrum reciproco amore diligat, & mutuis beneuolentiæ officijs ſe ad inuicem complectantur. Iure igitur, Beatiſſime Pater, prima, ante omnes, te ambit, te requirit, & ad te properè accedit hæc noſtri Principis ſedula, & deuotiſſima ſalutatio, quam Romæ, nondum Cardinalis, nuper audiſti, & nunc vix ſummam rerum adeptus, hodierna pariter ſuſcipis, & condecoras actione. Et merito; quis enim dignius recipere, & amplecti debuerat diuina illa Portugalliæ inſignia purpureo Chriſti Domini quinque vulnerum emblemate madentia, & mira Fidei, ac diuini amoris arte effigiata, quam Tu, quintus ordine Pontifex ab eo tempore, ex quo hæc toties, debita Sedi Apoſtolicæ Legationis obſequia, præſtare conati ſumus? Eò vel maxime, quia & tibi, & Luſitaniæ illa tua, & hæc illius inſignia è Cælo deſcenderunt; tibi, vt Cæli Clauigero; Luſitaniæ, vt quæ Clauiger in Cælum introducturus eſſes, ſecum adſportaret; nam ſicut nullus, non niſi Chriſti vulneribus ad viuum in ſe expreſſis, adſportari

mere-

merebitur, ita ; non nisi felici gratiæ, & amoris sydere praeuio cælestis Regni Clauiger introduces.

Magnopere tamen ambigi potest, quidnam primùm Serenissimus Princeps mente conceperit? Anne tuæ sacrosanctæ dignitatis sublimem, ac pene diuinam felicitatem? An tibi, & Orbi gratulandi debitum votum, & lætum desiderium? Neutrum posterius alio existimare fas est, vtrumque par, mutuum vtrunque, & ad vtrumque directa mentis acie collimasse Serenissimum Principem, diceremus; nisi fatidicè, vt ita dicam, te, Beatissime Pater, antea diligeret, & peroptaret Pontificem, quam ei hic tuæ laudis, & gloriæ cumulus innotesceret, & prius in plausus, atque exultationem prodiret futuri numinis, tibique hilare obsequium, & diuinam adorationem pendere vellet, tanquam præuisè conscius erumpentis prope Oraculi, quam tuæ bene auspicatæ,& meritæ lætitiæ dies adesset. Nescio enim quam vim occultam, & arcanam conglutinationem, seu naturalem consonantiam inter se generant egregiæ animorum virtutes, innata veluti specie, & morum similitudine, vt nulla præcedente oculorum notitia, vel consuetudine, præclari homines se ad inuicem diligant, & singulari quadam amicitiæ lege vltrò prosequantur.

Audierat profectò, te illustria Ecclesiæ munera hic in Vrbe, & Neapoli olim summa cum laude exercuisse; non sine admiratione acceperat, mirabilem tuam, in rebus arduis solertiam, in aduersis constantiam, in pros-

prosperis modestiam, in splendidis temperantiam, in controuersis iustitiam, in domesticis beneuolentiam, in forensibus vrbanitatem, erga pauperes munificentiam, erga miseros amorem, erga anxios solatium, erga ingenuos comitatem, erga elatos fortitudinem, erga Deum timorem, & reuerentiam. Et cum totam hanc tuarum virtutum congeriem valde miraretur, tuam singularem prudentiam, atque eximiam authoritatem in summo semper pretio, ac præcipua veneratione habuit. Ea propter, nulla interiecta mora, tibi, Beatissime Pater, qui tot clarissimis virtutibus supremum solium, inter Cælum, & terram, inter Deum, & homines, collocasti, Serenissimus Portugalliæ Princeps imprimis amanter, & religiosè gratulatur, deinde vniuerso Christiano Orbi, serò quidem concessa, sed diu, vti speramus, duratura tanti Pontificis sorte fortunatissimo.

Hic è Lusitania prodit hodie in medium, ab occasu videlicet in ortum solis, vt qui illic gloriose coruscat, quantus, & qualiter hic resplendeat, Te, Beatissime Pater, & in te Christum Dominum adoraturus, grauissimus, qui adest orbis concessus, sub diuino tuorum Syderum aspectu possit agnoscere. Princeps equidem omni oratione maior, dignior omni cultu, & omni commendatione præstantior, cuius gesta, quò plus intueor, magis admiror, nec satiatur animus tantæ contemplatione virtutis.

Omnia in illo singillatim veterum Portugalliæ Regum decora, singula vniuersim apparent expressa: augusta, & decòra oris maiestas; benè compactum membris, atque agile proceri corporis robur; mentis acre, & maturum iudicium, magnorum negotiorum capax; ingenium priuatim solers, & iucundum; in tractanda Republica, non solum erga omnes, facile, & benignum, verum etiam suapte natura liberale, & beneficum; cor nobile, & magnificum; vires eximiæ, itaut ferocissimorum taurorum impetum solus sustineat, & eos solis manibus humi prosternat; eques in pulchritudine fortis, & in fortitudine omnium oculis spectabilis. Summa illi iustitiæ cura, par veritatis existimatio, sed præcipua, inter cætera, diuini numinis omnibus modis colendi, & venerandi eum exagitat solicitudo. Hinc fit, vt nihil magis in corde, atque oculis habeat, quam Euangelicæ doctrinæ iubar per vniuersum suæ ditionis, hoc est, vtrumque solis hemisphærium circumferre, iacentesque ibi in tenebris, & vmbra mortis ad Lucem Catholicæ Ecclesiæ, & Vitam æternæ beatitudinis euocare: adeoque huius cælestis gloriæ auidus est, vt non solum maiores suos, antiquos Lusitaniæ Reges, studeat æmulari, sed longe vlterius progredi, assiduò meditetur. Ast id argumenti genus latissimè patet, nec potest, aut debet tam breui orationis periodo circumscribi; in promptu est cognoscere, quantus, & qualis sit Serenissimus Portugalliæ Princeps Petrus, ex

vni-

vnico eius facto, quod recens vidit vniuersa Lusitania, audierunt finitimi, & omnis subinde Europa, non sine admiratione, percepit; regiam, nempe illum, imperij maiestatem vltrò oblatam, non semel, non bis, non ter, sed sæpe, ac sæpius constanti proposito, & inuicta pectoris fortitudine reiecisse, vrgente regno, & acriter instante in illis proximioribus Comitijs, quæ ad Rempublicam benegerendam Lusitania postulauerat. O Principem sceptri, & Coronæ ornamentis, quæ respuis, longe maiorem, atque ornatiorem! O inauditam! ò inusitatam! ò incredibilem heroici verè animi magnitudinem!

Amplissimis Romanorum, Atheniensium, & aliarum nationum annalibus recensetur, quantum sanguinis, quantum stragis, quantum cædis, & lamentabilis exitij in orbe pepererit effrænata regnandi cupiditas, & cæca imperij dominatio; non aris, non templis, non legibus, non sepulchris maiorum, non amicis, non affinibus, non consanguineis, non fratribus, non filijs, non parentibus indulgebatur; charius, quam omne numinis, & naturæ vinculum, erat imperium. Cedat ergo magnanimo, & moderatissimo Principi, quidquid clarum, quidquid splendidum, quidquid egregium, quidquid sublime, & inclytum, mirata est fucata illa priscorum temporum gloria, & vana commendatio; nam mœnia pulsare, Vrbes euertere, populos subijcere, ciues capere, exercitus profligare, duces fundere, Reges

Solis lumine collustrarit. Illam dico, Nationem, quæ primùm indomito Neptuni imperio iugum imposuit, quæ sæuientem illius tridentem sola calcauit, quam audacium vndarum superbia, se longe audaciorem admirata contremuit; cui mare, cui tellus, cui ignis, cui aer, cui rupes, cui scopuli, cui feræ, cui homines, cui casus, cui pericula sparsim, & omnia simul elementa victa cessexunt; quæ vtramque solis regiam ita sceptro coniunxit, vt illi, Orientis, & Occidentis imperium nullo ditionis discrimine habeatur; quæque suam potentiam, & dominationem adeo extulit, vt telluris, atque Oceani metas supergressa, ipsis tantum Cæli marginibus terminari videatur, vt sic tuis Syderibus propior, innumeris præclusum gentibus Euangelij iter, ad te, & ad hanc Romanam Ecclesiam vndequaque aperiret, vt latè aperuit, & subinde nulli parcens sumptui, tot incognitas antea regiones, tot regna, tot prouincias, multo discrimine adiuit, iugi labore excoluit, & post memorabiles toto Orbe, & gloriosas Catholico nomini victorias, ad beatum, & iucundum Sedis Apostolicæ ouile denique perduxit, atque, vt ita dicam, è terris in Cælum transtulit. Quod si res libretur exactè, plus infidelium gentium ad Fidei veritatem attraxit, quam omnes superioris, & nostræ ætatis hæretici è Catholicorum numero, in suorum errorum deuia abstraxere.

Ad perficiendum verò, & ad culmen ducendum

tantæ

molis opus, non exiguas, proximò superiori Aprilis mense inuictissimus Princeps Petrus, suarum opum, & classium vires in Indiam conuertit, conuertetque deinceps longè maiores, vt possit ex fertiliori Euangelij segete pinguiorem Romanæ Ecclesiæ offerre prouentum, & à te, Beatissime Pater, ampliorem mereri Benedictionem; nam si suis maioribus ex hoc Ecclesiæ Cælo felicia quondam sydera annuerunt, ei, qui eorum vestigijs ardentius insistit, Clementis X. nunc in Orbe regnantia astra benignissima, quid non spondent? quid non indulgebunt? quid non præstabunt?

Viue igitur, Beatissime Pater, viue in multos annos, proclamat sibi læta, & tibi gratulabunda Portugallia; viue diu, quoniam te auspice, te authore, te duce, aliud mare, atque alium Orbem celeriter perquiret, facilè inueniet, facilius superabit. Viue iterum diu, vt nitidissima tuorum Syderum lumina magis, ac magis splendescant in dies, in Firmamento veritatis, & sanctitatis affixa, possintque per te fugata à facie Ecclesiæ hæresum caligine, discussa errorum nube, extincta vitiorum fæce, confusis mundi rebus afferre lucem, turbatis serenitatem, cæcis iubar, ambiguis splendorem, obscuris claritatem, desperatis spem, perditis opem, afflictis solatium, cunctis remedium; ac tandem, postquam sic orbi salutariter fulserint, è terris in Cælum recepta, sempiterna posteritatis memoria commendentur.

Die Iouis, vigesima secunda Maij, in Consistorio publico Responsio ad Orationem Oratoris Principis Portugalliæ per Illustrissimum Dominum Marium Spinulam Sanctissimo D. N. CLEMENTI X. ab Epistolis ad Principes.

PLaudit ex Apostolico Solio Præclarissimis Lusitaniæ laudibus Sanctissimus Dominus noster, barbarisque, qua Terræ patent, ac maria, nationibus conterminam inclytæ gentis dominationem relegens, excelsos amplè sibi Fidei triumphos gratulatur, & propagatæ Religionis trophæa. Efferuescentibus autem ad tam iucundæ contemplationis spectaculum paterni cordis ardoribus laxiores impressis altè à vobis extremis etiam Orbis in regionibus pietatis heroicæ vestigijs fines, atque indeficientium impensè precatur Segetem victoriarum. Ingens profectò demandatis sibi Cæli iuribus auspicari sibi censet incrementum, dum pro filijs orthodoxæ Matri adeo strenuè militantibus, festiuam hanc votorum exerit nuncupationem. Præstitam verò obsequentissimè in præsentia Regni Vniuersi, eiusdemque Supremi è familia regnatrice moderatoris nomine, illustrium more maiorum, ac felicissimæ recordationis decess-

Decessori suo humillimè designatam antea, debitamque prorsus obedientiam, tanti quoque Oratoris præstantia apprimè insignitam, suffragante vna secum Purpurato venerabilium fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Senatu, Pontificiæ charitatis in sinum recipit, beneficijs vtique, non verbis, vbi cum Domino poterit, præcipuis adstrictam filialis obseruantiæ significationibus, voluntatem vsque suam disertissimè declaraturus. Gaudet interea summopere eximijs spectandum virtutibus Portugalliæ Principem, non alienos in huius Sanctæ Sedis obsequium à Regalibus progenitoribus suis animos gerere, nouorumque in dies coruscantium latè fulgore facinorum, antiquam vltrò splendidarum imaginum gloriam obscuraturum, omninò sibi pollicetur.

Hanc ferè in sententiam paternos me referre sensus, ac luculentissimæ modo habitæ Orationi responsum reddere Sanctitas sua mandauit.

LAVS DEO.



